

supra mare illis significat, & eodem plane sensu
Græce Απωνειδες vocat Strabo.

Bachauda. Diocletiano imperante, tumultum rusticani
in Gallia concitarunt, factionique suæ Baucad-
rum nomen imposuerunt, & Beithiad Britannis su-
bulci, rusticique nominantur.

Varga. Indigenas latrunculos *Vargarum* nomine Galli
L. 4. Ep. 6. inquit Sidonius nuncuparunt, & latrones Bri-
tannice *Veriad* olim dictos fuisse in Glossario Ec-
clesiæ Landavensis inveni.

Allobroges. Ideo dicti sunt *Allobrogæ*, inquit vetus ille & ege-
gius Iuvenalis Scholiafestes, quoniam *Brogæ* Galli a-
grum dicunt, Alla autem aliud. Dicti igitur quia ex alio
loco translati. At *Bro* regio, & *Allan* extra, vel ex-
ternum est Britannis, ut Etymologia in utraque
lingua optime constet.

Glastum. Simile Plantagini Glastum in Gallia vocatur,
inquit Plinius, quo Britanos se infecisse testan-
woad. tur scriptores. Hæc herba est quam *Woad* dici-
mus, & cæruleum efficit colorem, qui color
hodie Britannis *Glas* appellatur, *Isatis* hæc fuit
Græcis, ut Plinius, & inceptoribus *Vitrum*, ut au-
thor est Oribasius. Vnde Pomponius Mela faci-
le emendetur si *Vitro* reponas pro *Vltro*, ubi il-
le Britanni incertum ob decorum, an ob quid
aliud *Vltro* corpora infecti.

Coccus. Gallathæ quibus eadem lingua cum Gallis ve-
teribus (teste Beato Hieronymo) fruticem par-
vum habuerunt *Coccum*, ex quo coccineus ille ru-
bens color efficiebatur, & hunc ipsum colorem
Coch vocitant Britanni.

Brache. Brachas communes fuisse Gallorum & Britan-
norum vestes ante docuimus, vestes intonsas va-
riique coloris Diodorus Siculus vocat: vestes au-
tem squallidas & laceras *Brati* nunc Britanni
appellant.

Laina. Si *Laina* vox fuit Gallica, quod indicare vide-
tur Strabo cum scribit, Ex *lana densa saga texunt*
Galli, quas *Lainas* vocant: non longe ab ea abierunt
Britanni, qui Lanam sua lingua *Glaen* appellant.

Bardus. Bardum Gallice Cantorem significare author
est Festus Pompejus, & hoc purum est Britannicu-
m.

Bardocucullus. Bardocucullum Bardorum Gallicorum fuisse ex
Martiale, & aliis docemur: ut vero *Bard*, sic etiam
altera verbi pars integra Britannis manet, qui-
bus pallium *Cucul* dicitur.

Brance. Gallæ, inquit Plinius, suum genus farris dedere, quod
illi *Brance* vocant, apud nos sandalum nitidissimi generis.
Apud Britanos item candidissimi grani far, Gui-
neth vranc nominatur, & in Norfolcia apud nos
Brank.

Pempedula. Quæ Græcis *Pentaphylon* à quinque foliis, *Pem-
pedulam* Gallis dictam docet Apulejus. *Pymp* au-
tem Britannis, quinque, & *Deilen* folium denotat.

Petoritum. Ut *Pymp*, quinque, sic *Petor* quatuor, Gallis de-
signasse è Festo dicimus, qui *Petoritum* Gallicum
fuisse vehiculum à quatuor rotis sic dictum tra-
dit, & vox *Pedwar* Britannis quatuor significat.

Guvia. Inter instrumenta lignaria Canterium quod
Anglis *A Leaver*, *Guviam* Gallice dictum scribit
Isidorus, & nunc *Gwif* Britannice dicitur.

Betulla. Betullam quam nos *Birch* vocamus, Gallicam ar-
borem vocat Plinius. Britannicam etiam jam vo-
caret: in Britannia enim lætissime provenit, &
Bedw Britannice nominatur.

Merum cui aqua assusa, ut est apud Athenæum,
Dercomæ nuncuparunt Galli, & *Dwr* Britannis *Dercomæ*.
aquam denotat.

Sic, ne omnia consecter, apud Dioscoridem,
quæ Latinis *Filix*, Gallis priscis *Ratis*, Britannis
Redin. Quæ Latinis *Sambucus*, Gallis *Scories*, Bri-
tannis *Iscaw*. Quæ Italæ *Serratula*, Gallis *Veronica*, *Veronica*.
Britannis & nobis *Betany*. Quæ apud Plinium
Latinis terræ adeps, Gallis *Marga*, Britannis *Mara-*
le. Quæ Latinis candida *Marga*, Gallis *Glycomar-*
ga, Britannis *Gluysmarl* dici potuit. *Gluys* enim il-
lis splendidum sonat. Quæ Latinis *Sellula* *tripes*,
Gallis *Tripetia* apud Sulpitium Severum, Britan-
nis *Tribet*. Quod Latinis centum pedes, Gallis
Candetum apud Columellam, Britannis *Cantroed*.
Quod Latinis avis rostrum, Gallis apud Sueto-
nium *Becco*, Britannis *Pic*.

Nec Goropii insaniam insanire, si revoca-
rem *Galbam* Suetonii pro præpingui, ad *Galluus* *Galba*.
Britannicum, quod prægrandem significat. *Bul-*
gam Verri Flacci pro facco scorteo, ad *Butsiet* *Bulga*.
Britannicum, *Soldarios* Cæsaris pro devotis ho-
minibus ad *Sowdiwr*. *Planarat* Plinii, pro aratro ad
Arat, quod aratum significat. *Taxeam* Isidori pro
lardo ad *Tew*. *Zithum* Diodori Siculi ad *Sider*. *Cer-*
vism ad *Keirch*, id est, avenam, è qua potum il-
lum Britanni multis in locis conficiunt, vel po-
tius ad *Cwrf*, id est, quam *Alam* dicimus.

Hæc omnia Gallorum veterum fuisse verba,
ex authoribus illis constat, & vides quam appo-
site & sono, & sensu cum nostris Britannicis con-
veniant, & quasi concinant.

Huc accedit, quod cum locorum nomina an-
tiqua apud utramque gentem eadem termina-
tione clauderentur, scilicet in *Duno*, *Briwa*, *Rito*,

Duro, *Mago*, &c. has gentes minime diversas fuisse colligi possit. Evidem vel hinc argumentum
non leve arripi potest nos Anglos à Germanis or-
tos esse, quod recentiora opidorum nomina de-
finant in *Burrow*, *Berry*, *Ham*, *Sted*, *Ford*, *Thorp*, &
Wich, quæ Germanorum terminationibus *Burg*,
Berg, *Heim*, *Stadt*, *Furdt*, *Dorpe*, *Wic*, pariter æquali-
terque respondent.

Vicissim nominum quorundam Gallicorum
ratio ita commode possit ex Britannica nostra
lingua reddi, consentiente rei natura, ut vel à
Britannis imposta, vel Britanos Gallice loquu-
tos fuisse necessario fateamur. Sed sufficiat unum
& alterum in medium adferre.

Tertiam *Gallæ* partem incolunt, inquit Cæsar, qui
iporum lingua *Celtae*, nostra Galli appellantur, à Græcis ve-
ro *Gallathæ*. Vnde autem *Celtae* & *Gallathæ* dicti
fuerint eruditissimi Galli nondum dixerint, sed
viderint an non à Britannica dictione *Gual* quæ
Britannis etiamnum comam denotat, & *Gualtoc*
Comata, unde *Celtica* & *Gallathæ* & Galli varia
elatione emollita videatur. Celtas vero *Coma-*
tos dictos fuisse à promissis comis quas studiose
aluerunt, in confessu est apud omnes eruditos;
& C. K. Q. G. à vi & soni indole quomodo di-
scrimines?

Nobilissimum Gallæ flumen *Garumnam* tor-
rentius, & quasi exasperatis undis ferri notissi-
mum est, unde Poëtis *Validus Garumna*, *Æquo-*
reus, *Rapidus*; & hoc *Garrw* Britannice designat.

Flumen *Arar* incredibili lenitate fluit, ita ut *Arar*.
oculis

Ala potu.

*Nominum
locorum
termina-
tiones.*

Celta.

Lipsum.
*66 de pro-
nunciatio-
ne.*
Garumna.